NOVUM ET SOLENNE DECRETUM
à Synodo GAPENSIS apud Delphinates proclamatum, & publicæ confeßioni Ecclesiarum Gallicarum aßcriptum.



FIDEI ORTHODOXÆ ART. XXXI.

CVM verò Episcopus Romanus, erecta sibi in orbe Christiano Monarchia, sibi arroget principatum in omnes Ecclesias & Pastores; vsque adeò inflatus, 1. vt Deum ipse se appellet: 2. velit adorari: Ipse sibi tribuat omnem potestatem in cœlo & in terra: Res Ecclesiasticas ad libitum componat: Condat articulos fidei: Authoritatem Scripturæ velit pendere à sua, eámque ad libitum interpretetur: Animarum mercaturam exerceat: Liberet astrictos votis & iuramentis: Nouos Dei cultus instituat: Et (quod ad ciuilia attinet) legitimam Magistratuum auctoritatem conculcet; dans, adimens, & transferens Regna: Credimus & asserimus, eum esse verum illum & germanum Antichristum, Filium perditionis, prædictum in verbo Dei: Meretricem purpuratam, insidentem septem montibus in magna ciuitate: Obtinentem regnum in reges terræ: Et expectamus donec Deus, prout promisit, & iam cœpit, eum fractum & victum spiritu oris sui, tandem deleat fulgore aduentus sui.

1. *Can. Satis. Dist. 96. lib. 1. sacr. ceremoni. c. de benedictione ensis.*
2. *Concilio Lateranen. vlti. sess. 1. 3. 9. & 10.*



GALLIIS.
Sub correctione D. Tileni.
1604.
A. IANON. Delph. Typogr. & Not. Reg.